Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uult uiuere. Nimis quidem hoc uidetur absurdum. Tale est enim ac si dicatur
et qui non uult beate uiuere beate uult uiuere. Istam repugnantiam quis
audiat? quis ferat? Et tamen ad hanc extrudit necessitas, si et omnes Nota
beate uelle uiuere uerum est et non omnes sic uolunt uiuere quomodo solum uiuitur
AN FORTE illud est quod nos ab his angustiis possit eruere, ut quoniam diximus ibi quemque .v.
posuisse beatam uitam quod eum maxime delectauit, ut volup
tatem Epicurum, uirtutem Zenonem, sic alium aliquid aliud, nichil dicamus esse
beate uiuere nisi uiuere secundum delectationem suam, et ideo falsum non esse quod Nota
omnes beate uiuere uelint, quia omnes ita uolunt ut quemque delectat? Nam
et hoc populo in theatro si pronuntiatum esset, omnes id in suis uoluptatibus
inuenirent. Sed hoc quoque cicero cum sibi ex aduerso proposuisset, ita re
darguit ut qui hoc sentiunt erubescant. Ait enim: Ecce autem non phi
losophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum omnes aiunt esse beatos
qui uiuant ut ipsi uelint. Hoc est quod nos diximus ut quemque delectat.
Sed mox ille subiecit: Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat id est ipsum Nota
miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod uelis quam adipisci uelle
quod non oporteat. Preclarissime omnino atque uerissime. Quis namque ita sit
mente cecus et ab omni luce decoris alienus ac tenebris dedecoris inuolutus
ut eum qui nequiter uiuit ac turpiter et nullo prohibente nullo ulcis
cente, nullo saltim reprehendere audente, insuper et laudantibus plu
rimis, quoniam sicut ait scriptura diuina: laudatur peccator in desideriis
anime sue, et qui iniqua gerit benedicitur, implet omnes suas facinorosissi
mas et flagitiosissimas uoluptates, ideo beatum dicat quia uiuit
ut uult, cum profecto quamuis et sic miser esset, sed minus tamen esset si Nota
nichil eorum que perperam uoluisset habere potuisset? Etiam mala enim uo
luntate uel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate qua